Sius & extendens latus: & eius debile traxit: Vibramen · Cpecing · Vimen · Telgre · Voti compos · Pil fangen ·
Omniaque in proprios reuocauerat organa neruos:
Sic iit & extimplo uenit qui languidus illo
Fit sanus: miroque modo caligam pedis eius
Celitus abstractam: quam postea querere multi
Temptabant: quisquam reperire nequiuerat usquam;
Quod fuit idcirco gestum: plebs sciret ut omnis
Indubitanter. & ut longe lateque pateret:
Quod meritis sancti SWITHVNI presulis: idem
Languidus a domino fuerat curatus: & omnis
Terra & lingua deo iubilando rependeret ymnum;
Qui idcirco sanatus erat: quia corde fideli
In prece permansit: nec mentis incredula quoquam
Flectere quiuit eum; Qui si discederet inde
A tumulo sancti: nec pernoctaret ibidem:
Non caperet forsan reduci uirtute salutem;
Sed quia permansit fixus sinceriter in spe:
Mente quod optauit fidei pro munera sumpsit;
In quo sermonem compleri constat herilem:
p̄icolam plebem coram qui fatur ad omnem;
In finem quicumque bonum permanserit usque:
Incunctanter erit saluus sine fine per euum;
Namque tria hoc egro miracula cernimus acta;
Eumenidum speciem: pia dogmata patris: & ipsam
De qua nunc resonat pauperrima carta medelam;
Corpore percipit: capiat quo mente uigorem:
Castigat quoniam natum quem diligit omnem:
Corrigit ac dominus recipit quem culmine celi;
Ore pio sancti petat ut fomenta monetur:
Quatinus infirmum se peccata fatendo:
Corporis admittat gaudens animeque salutem:
Humani generis quoniam saluator & auctor
Non de morte hominum letatur iniqua gerentum:
Seua nefandorum: sed uult contagia morum
Conuerti in melius: strictum ne exerceat actus
Iudicium: quo damna malis eterna parantur;